Rde in Xto Pater

Pax Christi et felicissimus Novus Annus.

Quid hoc audio de te mi amantissime Amice et candidissime Immortalis Kirchere?
itane irascaris filio tuo quem tamen semper habuisti tibi amantissimum? certe magnam
putassem me iram devenerum ut Pater meus dilectissimus, cuius adhuc semper sperabam me brevem
faturum, mihi sinistre afficeretur, sed patientia, siquid scripsi profecto omnia in bonum Vrae
Rdae scripsi, nimirum de Rege Chinensi; alias nihil scio me scripsisse, de quo adhuc
idem repeto quod nullo modo monstrari posset is liber in China; Vra Rda interrogare
poterit de hoc P. Prosperum de Intorcetta ubi Romam appulerit, quam adhuc iudico
magnam eam reformandam esse, quam certe aliter videbit delineatam et impressam
in meo Itinerario, quod spero sequenti anno lucem aspecturum. Quare omnem sinistram
opinionem deponas mi amantissime Pater et me suis sacrificiis consoletur, quas pro religioso
dedicato. Hic pro genio Vrae Rdae nova nulla, nisi quod duo miracula in meo
itinere cum Exercitu Germanico in superiore Hungaria viderim; primum est non
procul Segusio extra quendam pagum in summitate collis vehementissima
aqua erumpit ex petra horizontaliter sita, aspectu limpidissima, sapore tri
nigrantium amara, quae per vicinas petras defluens proximis visibiliter disparet
adeo ut ultra unam orgiam praeteritis circum circa nec gutta amplius nec et
minima madefactio videatur, inquisivi diligentissime ac inspexi locum omni modo
utrum saltem videre liceat, an defluens aqua iterum per novos canales vel occulta
foramina resorbeatur a terra illa petrosa, verum non solum nec minimum signum
foraminis reperi, sed etiam manu aquam defluentem excipiens eam in manibus nullo
modo retinendere, sed velut annihilari vidi; subditi illius loci credunt eam in petram
verti quod non credo cum observarentur antiqui canales defluae aquae ab ea
petris ex eo quam aliquid ijsdem addi. Vra Rda hoc miraculum speculatione
sua dilucidet. Alterum est, quod ante pauculum tempus accidit, nimirum
Cervulam sive Damulam a cane venatico concepisse et duos foetus edidisse
cervinis ungulis et capite ac pilis, auribus tamen cauda, proportione corporis
et voce caninos, quod utrum naturaliter in diversis et adeo sibi contrariis
naturis fieri possit Vrae Rdae discutiendum relinquo, adde quod foetus illi minime
feri sint sed sicut canes plane se hominibus affricant, et sequantur eosdem, omniaque
tamen more comedant. Haec pro nunc propinquo plura, interim me in antiquo
affectu, meliore intelligentia; et SSo sacrificia preces Rdae Vrae humillime
commendo. Iaurini 23 Xbris. 1670

Rdae Vrae Servus in Xto

112

Joes Grueber.

Rdo Patri in Christo
P. Athanasio Kirchero
Societis JESU

Romae.

Gruber